



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

De precario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

est, si ad vsum est, siue quod vtendum accepit ad aliam rem atque accepit, vsum est, furti se obligauit.

Item Valerius Maximus *lib. 8. cap. 2.* hunc in modum scribit: [Multus sermo de eo etiam iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus est, quod equo, cuius illi vsum vsque Arintam commodatus fuerat, vltiore eius municipij cliuo vectus esset. Quid aliud hoc loco, quam verecundiam illius seculi laudemus? tam minuti à pudore excessus puniebantur.] Hæc illi Auctores. Quapropter Ioannes Faber. *l. 1. c. de Pignor. act. censet*, actionem furti minime locum habere. Si commodaturus, inquit, aut creditor, aut depositarius vtatur re commodata, pignore, vel deposito, ad eum vsum, cui proprie res ipsa destinatur, & ad quem Dominus ipse his rebus uti solebat. Sed certe negari non potest, leges, & iura aliquando gratiori pœna punire minora delicta, quam maiora: eo quod illa frequentiora, & crebriora sint hominibus. Quocirca fures suspendi solent, & veteri lege Diuina iubebatur, qui furabatur ouem, plus restituere, quam qui bouem furtaretur: eo nempe, quod facilius homines furtarentur oues, & difficilius custodirentur. Quare, quia commodato, deposito, vel pignore facile abutuntur ij, quibus traduntur, alio videlicet vsum, quam quo vendita susceperint: ideo veteres Romani non inconsulte in eos furti actionem dandam esse voluerunt.

DE PRECARIO.

NTER eos contractus, in quib. obligatio rei traditione perficitur, quartum locum obtinet Precarium, vt superius dixi. Extat in iure Ciuili titulus ordine 25. *de Precario*, lib. 43. Digestorum, & in Codice lib. 8. tit. 9. & in iure Canonico est etiam titulus 16. lib. 3. Decretalium, *de Precarijs*. Et quamuis Precarium non sit idem contractus, qui Precaria, vel Precariæ: nihilominus tamen Canonici iuris interpretes de Precario tractant in *capite Precarium, de Precarijs*. Agit de Precario Couarruias *lib. 3. Variarum resolutionum, cap. 15.* Iason in *Institut. de Actionibus, num. 18. & sequentibus*.

Vnde dicatur, & quid sit precarium.

CAPVT I.

VRISCONSULTVS in *l. 1. ff. de Precario*, etymologiam, & definitionem Precarij hanc ponit: [Precarium, inquit, est, quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. Vnde genus est liberalitatis ex iure gentium descendens, & distat à donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: qui vero precario concedit, sic dat, quasi recepturus, quod dedit, cum sibi libuerit precarium solui.] Sic ille. Vnde Latini Scriptores, precarium im-

perium, & precarium imperatoiem, vocarunt datum, & permillum; quando is qui dedit, voluerit.

Primo quaeritur, Quo differat precarium à Commodato? Respondeo cum Glossa, & Panormitano, & cæteris Canonici iuris explanatoribus in *cap. 1. de Commodato, & cap. Precarium*, in multis differre.

Primo, commodatum datur ad certum vsum, & ad certum tempus expressum, vel tacitum, vt inferius explicabo. Vnde, qui dedit, nequit repetere ante illum vsum, & tempus præfixum: at precarium non datur ad certum vsum, tamen aliquando ad certum tempus conceditur, sed donec intra illud tempus voluerit, qui dedit: vel si datur ad certum vsum, is tamen vsum, nec expresse, vel tacite certum tempus requirit, vt deinde clarius apparebit. Sed dices, librum commodati ad transcribendum, qui tamen vsum certum tempus non postulat: rursus liber precario datur ad studendum, qui vsum est certus, & determinatus. Respondeo cum Panormitano in *cap. Precarium, de Precarijs*, Commodatum dari ad tempus, quod expresse, vel tacite est certum, & definitum, quia datur ad certum vsum, qui certum vitæ tempus requirit, vt cum commodatur liber ad transcribendum. Precarium vero, quamuis interdum datur ad certum vsum, is tamen vsum certum tempus non habet, vt cum liber datur ad studendum, non commodatur, sed precario conceditur: quia studere quis potest per totam vitæ cursum. Hinc est, vt precarium reuocari, vel repeti possit ante vsum, commodatum non item; quia precarium tamdiu retineri potest ad vsum accipientis, quamdiu placuerit ei, qui dedit: ergo liberantis voluntate precarium repositur. *l. 2. ff. de Precario, & cap. ult. de Precarijs*.

Secundo quaeritur, Qui possint precario dare, & accipere? Respondeo, omnes, qui contrahere queunt; quia precarium est contractus. Vnde necesse est, vt sint rationis capaces, ac, vt iura loqui consueuerit, doli capaces; quia absque contrahentium consensu, minime contractus subsistit. Quare sicut filij familias, & serui commodare, & commodatum accipere possunt eo modo, quo superius exposui; sic & precarium dare, & accipere queunt. *Hoc patet ex l. Si Seruus. ff. de Precario*.

Tertio quaeritur, Quam res precario dari queant? Respondeo, precarium consistere in ijs rebus, in quibus commodatum, in rebus nempe immobilibus, mouentibus, & se mouentibus, & in his, quæ in iure consistunt, cum finodi sunt seruitutes prædiorum vrbanoium, siue rusticorum. Hostien. in *Summa tit. de Precarijs. ff. In quibus*, & Gloss. in *cap. ult. de Precar. Vnde in l. aut Prator. vers. Habere*, sic est: [Habere precarium videtur, qui possessionem corporis, vel iuris adeptus est:] & in *l. Veluti. ff. eod. tit.* subiungitur: [Veluti si me precario rogaueris, vt per fundi meum ire, vel agere tibi liceat, vel, vt in rectu, vel in aream ædium meorum stillicidium, vel tignum in parietem immisissum habeas.] Et in *l. Et habere. ff. eod. tit.* [Precario habere etiam ea, quæ in iure consistunt, possumus, vt immilla, vel proiecta.] in *l. Robus. ff. eod. tit.* [In rebus etiam mobilibus, precarij rogatio consistit.]

Quæres, An quis rem suam aliquando precario habeat? Respondeo, in *l. Certo. ff. de Precar.* sic esse scriptum: [Quæsitum est: Si quis rem suam pignori dederit, & precario rogauerit, an hoc interdictum locum habeat? Quæsitio in eo est, vt consistere precarium rei suæ possit. Mihi videtur verius, precarium consistere in pignore, cum possessionis rogetur, non proprietatis. Et hæc est sententia etiam vtilissima: quotidie enim precario rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt, & debet consistere precarium.] Ita lex. Alioqui generatim habetur in *l. Neq. pignus. ff. de Reg. iuris*.

[Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio suæ rei consistere potest.]

De his, quæ ad Precarij substantiam pertinent, & de pactis, quæ in precario apponi consueverunt.

CAPVT II.

PRIMO queritur, Quæ nam ad Precarij substantiam, & naturam spectent? Respondeo, in primis consensum requiri, tam dantis, quam accipientis; quia ut iam sæpe diximus, Precarium est contractus. Deinde necessario Precarium fit traditione rei; quia in ea perficitur. Tertio, is, qui precario dat, quando voluerit, potest rem datam reuocare, siue precarium reuocare. *l. ff. de Precario.*

Si dubium sit, id ne possit suo arbitratu facere, etiam sine vlla causa? Respondeo, posse; quia precarium ex libera eius, qui dedit, voluntate exiit, ac pendet. Adidit tamen Panormitanus in *cap. Precarium, de precarijs, num. 19.* id facere non posse cum maximo damno eius, qui precarium accepit. Is enim possit doli exceptionem opponere. Precarium enim est quidem liberalitatis beneficium; ac beneficium iuuandi sumus, non decipiendi, & laedendi. Sicut etiam idem, inquit Panormitanus, dicitur in eo, qui inuitat viatorem, & hospitio excepit, quem tamen postea penituit, potest agi contra eum actione de dolo; quia beneficium cum alieno damno reuocatur.

Nec obstant leges, & iura, quæ dicunt, posse precarium repeti ad nutum eius, qui dedit: nam intelligi debent ea conditione, ut illud, sine dolo, & alieno damno repetatur: *ut colligi potest ex l. Quod dicitur, & l. Ratum, ff. De solutionibus.* Idem cum Panormitano docuerunt Angelus, Rosella, & Siluester in *verbo Precarium, num. 1.* Nauarr. in *Manual. cap. 17. num. 182.* Idem quoque Couarr. *lib. 3. Variarum resol. cap. 15. num. 6.* vbi citat Iasonem, Alexandrum, Curtium Iuniorum, Bartolum; quamuis Barbatius, Decius, & Alciatus oppositum tradiderunt.

Secundo queritur, An possit pactum apponi, ne is qui precario dedit, possit illud reuocare ante certum tempus? Respondeo, minime, quia est pactum contra substantiam, & naturam contractus. Glossa, & Panorm. in *cap. vlt. De precarijs*, idque constat ex *l. Cum precario, ff. De precario*, vbi sic habetur: [cum precario aliquid datur, si conuenit, ut in Kalendas Iulias precario possideat, nunquid exceptione adiuvandus est, ne ante ei possessio auferatur. Sed nulla vis est huius conuentionis, vt rem alienam Domino inuito possidere liceat.] Ita lex.

Querat aliquis, An consuetudine queat huiusmodi pactum valere? Respondeo cum Glossa *cap. 2. De consuetud. in Sexto*, & cum Panormitano *cap. Precarium, de precarijs, num. 4.* Consuetudinem contra naturam contractus vim, & locum non habere, sicut nec pactum: ideo induci consuetudine nequit, vt à Vicario Episcopi ad Episcopum prouocetur, siue appelleretur; quia Vicarius, & Episcopus vna eademque persona censentur; & appellationis natura postulat, vt ea fiat à minori ad maiorem. *cap. Anteriorum, 2. quæst. 6.* Hoc tamen, inquit Panorm. verum est, nisi pactum appositum transferat id, quod fit, in alium contractum. Nam donationis natura in eo consistit, vt reuocari possit, *cap. vlt. De donationi.* & si pactum adiicitur, vt nequeat reuocari; valet pactum; quia transfert in donationem inter viuos. *l. Vbi ita donatur, ff. De donationi. causa mortis.*

Tertio queritur, Quæ ex culpa teneatur, qui precario accepit, & habet? Respondeo, solum teneri ex dolo, & lata culpa. *l. contractus, ff. De Regul. iuris. l. Quasitum est,*

*versic. Et illud adnotatur, & vers. Si seruicute, ff. De precario, vbi habetur: [Culpam non praestat is, qui precario rogauit, sed solum dolum] quamuis is, qui commodatum suscepit, non tantum dolum, sed etiam culpam praestet.] Significat lex, precarium à commodato differre: quod is, qui precario accepit, tenetur ex dolo, & lata culpa, quæ dolo æquiparatur in *luc. l. Quod Nerua, ff. Dep. stei, & l. Magna diligentia, ff. De verb. signific. & l. i. ff. Si meior, falsi, mod. dixerit: Sed non ex leuissima, vel leui culpa, cap. 1. De commodato. Sed precarium, inquit, est contractus gratuita eius, qui precario accepit: at ex Regula iuris in *l. Contractus, ff. De Regul. iuris.* in contractibus, qui solum sunt causa recipientis, obligatur is, qui accepit, ex leuissima etiam culpa. Respondeo cum Vlpiano Iuriconsulto in *l. Quasitum, ff. Et illud, ff. De precario, & cum Panormitano in cap. Precarium, de Precarijs, num. 14.* ab ea Regula generali, excepti precarium; quoniam est solum est ad vtilitatem accipientis, reuocari tamen potest ad nutum eius, qui dedit. Et ideo hinc est, vt in precario teneatur solum ex dolo, & lata culpa is, qui accepit. Sibi enim imputet is, si leuem culpam admiserit, qui accepit, siquidem habere poterat precarium reuocare, quando voluisset.**

Quarto queritur, An possessio rei precario data sit penes accipientem, an vero maneat penes dantem? *In l. In rebus, ff. De precario* videtur aperte dici, precario possidere eum, qui precario accepit: & ex altera parte videtur possessionem rei precario datae penes Dominum manere: tum quia is, qui accepit, possidet non suo, sed alieno nomine, quemadmodum colonus, inquilinus, & is qui commodatum habet. *Sed in l. Et habet, ff. Cum quis, vers. Eum qui, ff. De precario*, tollitur omnis dubitatio: ibi enim habetur: [Placet autem penes vtrumque esse eum hominem, qui precario datus esset: penes eum qui rogasset, quia possederat corpore: penes Dominum, quia non discederat animo à possessione.] Sententia legis est: penes Dominum manere possessionem eullem, ad eum vero, qui precario accepit, possessionem naturalem transferre, sic Glossa in *cap. vlt. De precarijs, in verbo Precarium.*

Quinto queritur, An precarium dari ad certum tempus queat? *Bart. in l. In commodato, ff. Sicut, ff. Commodati, ff. De precario* videtur dari ad certum vsum, & tempus; & ideo repeti non posse ante finitum tempus, quia alioqui deciperetur, & damno afficeretur is, qui commodatum accepit. Precarium autem nec ad certum vsum, nec ad certum tempus datur: & ideo is, qui dedit, potest, quando voluerit, reuocare. At hæc ratio Panormitano non placet in *cap. Precarium, de Precarijs.* Et certe ex ipso iure constat, Precarium aliquando ad certum tempus dari. Nam in *l. Cum precario, ff. De precario habetur: [Cum precario aliquid datur, si conuenit, ut in Kalendas Iulias precario possideat.] Et in l. In rebus, vers. Item qui, ff. eodem tit.* [Item qui precario ad tempus rogauit, finito tempore, etiam si ad hoc temporis non rogauit, tamen precario possidere videtur.] *Idem quog, colligitur ex l. Sed est, ff. eod. tit.* Accedit quod precarium potest etiam dari ad certum vsum: vt si dedero tibi precario librum, vt studeas. Quare Panormitanus, & Imola in *prædicto cap. Precarium*, censent commodatum à precario differre, quod commodatum datur ad certum, & definitum vsum, qui expresse, vel tacite eodem tempus requirit, iuxta quod reuocari nequit, ne damno afficiatur, qui commodatum accepit: Precarium vero datur ad incertum vsum; vel si ad certum, vt tenetur dari potest, is tamen vsum non expresse, nec tacite certum tempus, & definitum postulat. Potest item precarium ad certum tempus dari, sed ad certum vsum intra id tempus; ac propterea potest libere ante illud tempus finitum reuocari ab eo, qui dedit. *l. Cum precario, ff. De precario.*

Sexto queritur, An precarium possit constitui inter absentes? Respondeo posse, dummodo res tradatur. *In l. Precaria, ff. De precario: [Precaria, inquit, possessio constitui potest, vel inter presentes, vel inter absen-*

abſentes, vel per epistolam, vel per nuncium.] Ita lex.

Vltimò queritur, An quando quis ancillam cum precario dedit; si postea nafcatur ex ea filius, datus precario intelligatur? Respondeo ex l. *Quamuis*. ff. De precario, vbi sic habetur: [Quamuis ancillam quis precario rogauerit; id actum videtur, vt etiam, quod ex ancilla natum eſſet, in eadem causa haberetur.] Fortassis hic ſenſus legis eſt; filium ex ancilla natum, datum precario intelligi; quia ita actum eſſe videbatur. Alioqui enim in l. 1. §. *Qua de poſitis*, ff. De poſitis, manifeſte dicitur: Quæ rem depoſitam conſequuntur, vel comitantur, pro depoſitis non habent.

Quando, & quo modo precarium finiatur.

CAPVT III.

PRECARIVM ſoluitur, ſeu finiatur, & deſinit obitu eius, cui datum eſt. cap. vlt. De precario. Eſt enim beneficium in perſonam eius qui accipit, collatum, ac proinde cum perſona extinguitur.

Secundo, voluntate eius, qui conceſſit. l. 1. ff. De precario. cap. vlt. De precario.

Tercio, finito tempore, ad quod res eſt precario data. l. Cum precario. ff. De precario.

Quarto, quando is, qui precarium conceſſit, rem precario datam alienauit: tunc enim niſi voluntate noui domini res eadem maneat penes eum, qui ab initio precario poſſidebat, finiatur, & tollitur precarium. l. *Quæſitum*, §. *Quod à Titio*. & §. *Illud*. ff. De precario. & cap. vlt. De precario.

Dubitæ quæſtionis eſt, An precarium finiatur morte eius qui dedit? De hac quæſtione Panormitanus in cap. *Precarium, de precario*, & late Couarruuias lib. 3. *Variar. reſolut. cap. 15. num. 1. 2. 3. & 4.* Certi iuris videtur eſſe, precarium morte concedentis non fini. l. *Cum precario*. verſ. *vlt.* & l. *Quæſitum*, verſ. *Quod à Titio*. ff. De precario: ita Gloſſa, Panormitanus, & alij in cap. *vltim. De precario*, vbi docent, hæredem eius, qui precario dedit, poſſe repetere, ſed non eſſe necelle, vt precarium à deſuncto datum ipſe demuo concedat, vel confirmet: manet enim penes eum, qui accipit, donec eius hæres id reuocauerit. Ita etiam docuerunt Bartolus, Paulus, Alexander, Iaſon, quos *ibi* producit Couar.

At enim duo obijci poſſunt: primum eſt, quia Iuriſconſultus in l. *Locatio*. ff. *Locati*. [Locatio, inquit, precariue rogatio ita facta, quoad is, qui eam locaſſet deſiſſet, vellet, morte eius qui locauit, aut dedit, tollitur.]

Secundo eſt, quod habetur in cap. *Si grauoſe*, De reſcript. in Sexto. Id quod gratis conceſſum eſt à Romano Pontifice, vt duraret ad beneficium eius, morte Romani Pontificis finiatur: quia voluntas morte ceſſat, ac deſinit. Reſpondeo, duos caſus eſſe diſtinguendos. Præmius eſt, quando agitur ſimpliciter valet, eam tamen à Iure habet conditionem, vt poſſit ab agente reuocari, ſi ea conditio expreſſim in actu fuerit appoſita, videlicet, vt valeat, donec reuocauerit, qui egit, tunc morte eius non extinguitur, nec reuocatus cenſetur; quia per obitum concedentis reuocatio facta non intelligitur, cap. *Si delegatus*. §. 1. De offi. delegat. in Sexto. [Quando tibi, inquit, Romanus Pontifex vices etiam ſub ea forma commiſit, donec eas duceret reuocandas, poteris ex commiſſione facere: nam talis commiſſio, per quam cenſetur etiam ſententia probata, niſi antea fuerit reuocata, committi, nequaquam morte committentis expirat, ex qua res integra non eſt.] Sic ibi. Hoc annotauerunt Bartolus, & Decius, quos citat, & ſequitur Couarruuias. Ex quo eſſicitur, vt delegatio cauſæ, & iuriſdictio data alicui eum ea expreſſa conditione (donec reuocauerit, qui delegauit, aut dedit) mi-

nimè reuocata cenſetur morte delegantis, vel dantis Bartolus, Alexander, Decius, Iaſon, vt *ibi* reſert Couarruuias. Item ſententia Iudicis ex hujus poenam continens, donec Iudex eam reuocauerit, non finiatur morte Iudicis. Bartolus, Salicetus, Alexander, & Iaſon, eodem teſte Couarruuias.

Secundus caſus eſt: Quando actus à Lege, vel ab homine eam habet conditionem, vt duret, donec voluerit is, qui agit, finiatur, ac ceſſat eius morte. Ita docent Bartolus, Panormitanus, Alexander, Iaſon, Paulus, Decius, & alij apud Couarruuias.

Ex his inferitur, Precarium obitu eius, qui conceſſit, non extingui, vel fini: vt habetur in l. 1. §. 2. ff. De precario. quia precarium datur, vt eo utatur is, qui accipit, donec voluntatem reuocauerit, qui conceſſit: ſed voluntas morte reuocata non cenſetur.

At dices, Leges ipſas, & Iura docere, precarium dari ad nutum, & voluntatem dantis. Reſpondeo, niſi aliud hiſce legibus ſignificat, niſi, precarium durare, donec reuocet voluntatem is, qui dedit, quæ quidem reuocatio ſola morte non fit. Obijciat & illud, in l. *Titius*. ff. De donationibus, vbi Scacuola inquit, [Lucius Titius epistolam talem miſit, ille illi ſalutem: Hoſpitio illo quamdiu volueris, vtatis in ſuperioribus diebus: omnibus gratuito: id quæ te ex voluntate mea facere, hæc epistoſa nouum tibi facio.]

Quarto, An hæredes eius, habitatione eum prohibere poſſint? Reſpondeo ſecundum ea, quæ proponerentur, hæredes eius poſſe mutare voluntatem. Reſpondeo cum Couarruuias loco citato, num. 5. Illa verba (ex voluntate mea) non ſignificare idem, quod illa [ad meam voluntatem] vel [quatenus mea voluntas tulerit] ſed ſimpliciter conſentium donantis oſtendere, & manifeſtum facere. Vnum eſt animaduertendum, voluntatem morte fini, non tamen furor, amentia, & ebrietate. Et hinc eſt, vt in cap. *Maiores*, de Baptiſmo, & eius effectu. §. *vltimo ad finem* dicatur, amentes, & furiosos in eadem voluntate perſeuerare, quam habebant eo tempore, quo furor eos oppreſſit. Sic ibi. *Ad etiam continetur in l. Si quis, qui animo*, & c. De acquirenda poſſeſſione. Morte itaque finiatur, & tollitur voluntas, non autem furor, amentia, ſomno, aut ebrietate. l. *Nunquam*. §. *Si ſeruus*. ff. De reſcript.

Secundo queritur, Quammodo actio civilis ex precario oriatur? Reſpondeo, ex l. *Interdictum*. ff. De precario, vbi ſic habetur: [Interdictum de precario mento introductum eſt, quia nulla eo nomine Iure Civilis actio eſt. Magis enim ad donationem, & beneficij cauſam, quam ad negetj contracti ſpectat precarij conditio.] *Idem proſus in l. Eun qui*. §. *An pater*. verſ. *Is qui precario*. ff. De furis. Nihilominus tamen, vt docet Hoſtenſis in *Summa*, tit. De precario. §. *Quibus actionibus* & Gloſſa in l. *Interdictum*. ff. De precario. Aut precarium conceditur ſimpliciter, & tunc nulla eſt actio civilis, qua repetatur, ſed interdicto de precario reſtituitur: Aut precarium datum eſt expreſſa conditione, vt redderetur, quando repeteret, qui dedit, & tunc repetitur (præſcriptis verbis) quæ actio quidem civilis eſt, ſed innominata: Aut datum eſt ex ſtipulatione, & tunc repetitur actio civilis, quæ dicitur (ex ſtipulatu) l. *Et habet*. verſ. *Cum quis*. §. *Eum qui*. ff. De precario.

Rogabit quipiſam, Contra quem agitur interdicto de precario, ſue actione ex ſtipulatu? Reſponder Hoſtenſis in *Summa*, tit. De precario. §. *Contra quem*, agi contra illum, qui precario rogatur, ſue per ſe, ſue per procuraatorem, ſue per ſeruum, rogantem nomine eius. Nam ſi ſeruus meus ſuo nomine rogauerit precario, teneor tantum de peculio, vel de re in rem veſto. l. *In rebus*. §. 1. & l. *Si ſeruus tuus*. ff. De precario. Si mandato tuo alicui dederis, tibi voleas concedere, obligaris mihi. Si illi concedere volo, tu mihi obligaris aſſimilatione mandati; ille, interdicto de precario. Quod ſi tu dederis non mandato meo, ſed potius meâ ſuaſione; obligor tibi iſtatione, in

